



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XL. De Famula ex metu Heri Matrimonium contrahente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)



TITULUS XL.

De his, quæ vi, metusve causâ fiunt.

DECISIO XL.

De famula ex metu heri sui Matrimonium contrahente.

SPECIES FACTI.

Notburga cujusdam Nobilis famula, apud quem gratiâ non parùm valebat, & ideo admodum bene habita, ex infligatione heri sui, per minas disgratiæ, imò per incarcerationem, eò tandem compulsâ est, ut post longam reluctationem sponsalia de presenti seu Matrimonium ratum contraheret invita cum quodam Officiali bellico, ne gratiâ heri sui excideret: quod tamen nunquam consummavit, sponsum semper exosa, licet per 10. omnino annos in hoc sta-

tu vixerit, sponso nunquam cohabitans, nec Matrimonium à se metu tortum verbò vel factò ratificans. Quibus annis elapsis mortua est conjux dicti Nobilis, qui proin se revocavit ducere in uxorem dudum & constantè adamatam Notburgam, eoque, post causam Romæ agitatam ubi prioris Matrimonii cum Officiali bellico initi nullitas per sententiam priùs fuit declarata, heri sui socium effecit reipsa. Igitur placet discutere

QUÆSTIONEM.

An dictum Matrimonium ex metu reverentiali in initum revocatum è fuerit declaratum nullum?

Certum equidem est, metum gravem, injustè & directè ad extorquendum Matrimonium ab homine incussum, facere, ut tale Matrimonium saltem Jure positivo humano sit

nullum. c. 14. c. 15. de sponsal. de-
bium tamen & controversum, an metus reverentialis, qualis datur apud liberos erga parentes, in subditis erga Dominos sibi bene affectos &c. habeat

habendus pro metu gravi vel justo, qui cadat in virum vel foeminam continentem, adeoque pro tali, qui irritet Matrimonium. Duarenus in Comment. tit. de eo, quod metus causâ. Donellus l. 15. comment. c. 39. §. in primi volunt. Molin. de Primogen. l. 2. c. 3. n. 9. Fach. l. 2. c. 96. Alex. de Novo, Hofst. Innoc. Abb. Decius, Felin. Gail. Sanch. de Matrim. d. 6. n. 7. 4. cum aliis plurimis ab eodem allegatis, metum reverentialem pro metu levi, & pro insufficienti ad rescindendos contractus, consequenter ad invalidandum Matrimonium, habere volunt, id defumentes I. ex c. un. de Dispof. impub. §. Porro in 6. ubi habentur sponsalia pro validis, quæ contrahunt parentes loco filiorum præsentium, & ex reverentia non contradicentium. II. Exc. 2. de Pactis in 6. ubi renuntiatio hereditatis à filia in favorem patris & ex reverentia erga eundem facta valere dicitur, modò non sit dolo aut vi exacta. III. ex l. 22. ff. de Ritu Nupt. ubi filius contraxisse validum Matrimonium, illudque maluisse perhibetur, quod contraxit cogente, h. e. imperante patre, ut habet communis interpretatio, cui ex reverentia metu non est ausus contradicere, licet non contracturus, si sui arbitrii fuisset, ut ait textus. IV. ex l. 26. §. 1. ff. de Episcop. ubi filius emancipatus, qui mandante patre (adeoque ex reverentia metu) perscripsit manu sua Instrumentum chirographi, consensum validum dedisse dicitur, ratione adjecta, nec metuere debebat ex hoc, quòd

mandante patre manusua perscripsit instrumentum: ergo sola reverentia & imperium paternum non incutit gravem metum. V. Si metus reverentialis pro gravi & invalidante aut infirmum reddente actum haberetur, nullum ferè negotium, quod filii, uxores, subditi gerunt suadente vel imperante patre, marito, Domino, firmum foret; quod asserere admodum difficile foret, & contra praxim: ergo Notburga contrahens matrimonium ex metu reverentiali non egit invalidè.

Contrarium huic doctrinæ statuunt cum Menoch. de Arbitr. l. 2. casu 136. cent. 2. Navarr. ad Tit. de his, quæ vi conf. 10. n. 4. Bart. Baldus, Salicet, Imola, & quidam alii relati à Sanch. de Matr. l. 4. d. 6. n. 4. asserentes, metum reverentialem semper cadere in virum constantem, seu habendum pro gravi, & actus vel infirmante vel irritante. Afferunt & isti textus Juris. I. ex l. 4. ff. de R. J. ibi: velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini: ergo imperium Patris vel Domini, cui debetur specialis reverentia, tollit voluntatem sufficienter liberam. II. ex l. 1. §. 6. ff. quarum rer. actio non datur. ubi liberto conceditur exceptio, si liquidò appareat, quòd metu solo, vel nimia patrono reverentiâ se subjecerit: ergo sicut metus, ita & reverentia alicui debita pactum vel contractum reddit infirmum, aut, si infirmari non potest, uti est matrimonium ex se indissolubile, invalidum omnino. III. ex l. penult. ff. de furtis. ubi dicitur furtum fieri liberto à Patrono, vel ab alio al-

teri, quem magna verecundia, vel pudor ad resistendum impedit, licet videat sibi aliquid furripi: ergo propter metum reverentialem censetur non consentire, & actionem furti habere; si enim consentienti aliquid furriperetur, furtum non esset. IV. Accedit ratio: si præter reverentiam requirentur minæ alterius mali gravis, non daretur discrimen inter metum ab aliquo, cui debetur reverentia, & ab extraneo incussum; quia minæ gravis mali semper faciunt metum gravem, à quocunque pro-
 venerint.

Antequam ad questionem ex specie facti præsentis depromptam animi mei sensum aperiã, cum media inter duas sibi oppositas sententias, quam tradunt Sanch. n. 7. cit. innumeros allegans junctã d. 7. § d. 9. n. 12. Lessius l. 2. de Contract. in genere. c. 17. dubit. 6. n. 35. Palao. p. 1. tr. 2. d. 1. pu. 7. n. 6. considero duplicem metum reverentialem, nempe solum, & præcisè talem, quo aliud non timetur, quàm pudor, verecundia, aut levis offensa, vel indignatio aequalis illius, cui quis specialem debet reverentiam, seu qui aliud non est, quàm verecundia, quam pati timet subditus, si patri, Domino, vel alteri superiori contradicat, & hinc contradicere non audeat: deinde alium, quem comitantur minæ graves, seu minæ alterius mali gravis, vel verbera, vultus asperitas, rigida tractatio, continua exprobatio, aut horum timor probabilis, quò etiam referunt cum Sanch.

d. 7. cit. n. 7. & Lessio importunas preces & sæpius repetitas ab eo, cui reverentia debetur. Hoc discrimine præmitti

Dicendum, metum merè reverentialem, & solum, non sufficere ad constituendum metum gravem, quo, etiam injustè incussum, actus vel contractus rescindi possint (vel invalidi sint, si ex natura sua non sint rescindibiles, ut Matrimonium & Professio religiosa.) Atque in hoc sensu intelligendi sunt Patroni primæ sententiæ, idque satis probant adducta aliorum argumenta. Si verò accedat minæ alterius gravis mali, rigida tractatio, verbera &c. vel horum minorum probabilis metus, omnino pro gravi metu & sufficiente ad infirmos vel invalidos efficiendos contractus & pacta habendus est metus reverentialis. Atque in hoc sensu accipienda est altera sententia, quam rectè probant allata pro ea argumenta. Si quæ ex utriusque partis patronis aliquid vident, ut tamen plerosque aliud non velle existimo, errare mihi videntur in ulteriori hac ratione; quia metus gravis ex essentia sua dicit trepidationem mentis de gravi malo imminente: ergo, si ab eo, cui debes reverentiam, non habes probabilem causam trepidandi de alio malo, quàm de pudore & verecundia, quam sentis non servando reverentiam ei, cui illam debes, & non sequendo ejus voluntatem, vel levem duntaxat ejus indignationem times, non utique datur metus mali gravis; nec enim subditi pudor & verecundia, aut levis indignatio

superioris, tanti est, aut ita terrere
suum debet, ut liberam dispositio-
nem in hunc metum merè reverentia-
lem passio impediatur. Econtra, si accedant
maius alterius mali gravis, aut proba-
bilis timor ejusdem, v. g. verberatio-
nis, rigida tractationis &c. utique ju-
sta trepidandi graviter causa, conse-
quenter gravis dabitur metus, sicut si
extraneus tibi hujusmodi grave ma-
lum minitaretur: imò videtur auge-
ri ille metus ex circumstantia perso-
ne, si illa, cui debes specialem re-
verentiam, grave malum minitetur,
vel probabiliter tibi illatura credatur,
si ejus voluntati non obsecundes.

Ex quibus prono alveo fluit deci-
sio presentis casus & quæstionis, vi-
delicet matrimonium Notburgæ,
cum Officiali Bellico initum, nulliter
fuisse initum, eò quòd non solus
metus reverentialis, & merè talis,
sed extorserit, sed incarceration actua-
liter ab hero attentata, rigidaque
tractatio, quam ab hero suo jam cæ-
perat experiri, & deinceps probabili-
ter expertura fuisset. Neque Matrimo-
nium hoc ex longitudine tempo-
ris, nempe 10. annorum, fuit revali-
dum, quia Notburga nunquam ad-
ducitur potuit, ut matrimonialiter coha-
bitaret putatitio marito, & sic neque
facto ullo, neque verbis expresso no-
vo consensu liberè posito, matrimo-
nium priùs invalidè initum restauraf-

se aut ratificasse dici potest. Non enim
restauratur ullius temporis lapsu Matrimo-
nium ex defectu consensûs nullum
sine novo consensu vel facto vel verbis
manifestato, uti est evidens, nec diutur-
nitas temporis consensum inducit, li-
cèt ejus præsumptionem facere pos-
set, si metu impulsa persona alteri
parti diù & pacificè cohabitaret, aut
copulam sponte admitteret, quorum
neutrum hîc factum esse supponitur.

Argumenta ab utriusque partis,
saltem in speciem oppositæ, Patro-
nis adducta negotium non facef-
sunt; quia argumenta primæ partis
de metu pudoris & verecundiæ citò
transeuntis, adeoque de metu merè
reverentiali, secundæ verò de metu
non merè reverentiali, sed de conjun-
cto cum minis vel probabili timore al-
terius gravis mali, aut gravis indignati-
onis vel diuturnæ intelligenda veniunt.
In quo ultimo sensu metus reveren-
tialis quoad substantiam ferè non dif-
fert à metu gravi, quem extraneus in-
fert, licèt ei superaddat circumstan-
tiam reverentiæ, propter quam diffi-
ciliùs vincitur, quàm metus ab extra-
neo, cui specialis reverentia non de-
betur, incussus; & mala in se minora,
si tamen immineant à persona, cui quis
debet singularem reverentiam, ex
hac evadunt magna, & ad gravem
metum constituendum sufficientia.

